

Ad β) pariter *neg.* assertum quoad utrumque membrum. Ac de primo quidem nuper dictum est. Probatio vero alterius membri vanissima est. Primo quia necessarium non est omnes indiscriminatim res immediate a Deo profectas, vel per solam Dei actionem effectas, perfectissimas omnium esse: mixta enim corpora vel chimice composita simplicibus seu elementis, et animata inanimatis perfectiora sunt; et nihilominus elementa a solo Deo in prima mundi creatione, mixta vero a Deo simul cum ipsarum naturalium causarum concursu producta fuere, ut superius docuimus et communissime docetur nostris diebus; vel certe produci potuerunt. Ergo ex eo, quod priora immediate a Deo creata sunt, non sequitur non posse ad posteriora ordinari aut imperfectiora, quam ante fuerint, reddi. Præterea ut alibi contra evolutionistas probandum erit, immediata Dei actio ad primam viventium existentiam omnino requiritur. Ergo etiamsi verum foret in tota sua universalitate Spinozianum illud pronuntiatum, adhuc non sequeretur non posse et elementa et mixta inanimata ad viventia, itemque vegetalia ad animalia, et hæc omnia ad hominem tamquam ad finem magis minusve proximum, cuncta vero creata ad Deum tamquam ad ultimum finem dirigi et ordinari.

Ad γ) quod dudum sibi objecerat S. Thomas, solveturque (1), negatur prorsus assertum, prout sequenti articulo declarabitur.

Ad δ) denique negatur totum. Appetitus enim vel desiderium obtinendi aliquid non est ipse finis, sed effectus et causalitas finis, quemadmodum patet ex dictis in *Ontologia* (2).

ARTICULUS II.

Utrum detur aliquis finis ultimus mundi,
et quis ille sit.

89. Antè omnia recolendæ animo sunt notiones ac divisiones finis in *Ontologia* enucleatæ (3), quas repetere hic

(1) I p. quest. 44, art. 4, arg. 1.

(2) Vide *Ontol.* n. 422, 423, pag. 1156 seqq.

(3) A num. 416, pag. 1175.

iterum necesse non est. Revocandum item in memoriam est id, quod jam ibidem innuimus, in Deo respectu actuum Ipsorum voluntatis finalem causalitatem habere locum non posse, sicut habet respectu creatæ voluntatis, posse autem respectu effectuum. Et ratio est, quia si respectu actus ipsius voluntatis divinæ daretur causa finalis, actus ille finaliter causaretur, atque adeo realiter dependeret a bonitate finis allicientis, et moventis ac determinantis ad volendum, sicut accidit in creata voluntate. Atqui nullus actus divinus causari quomodolibet potest, cum sit ipsa Dei essentia. Datur tamen respectu actus voluntatis divinæ ratio aliqua; quia quamvis in Deo omnia sint unum; at nostro modo intelligendi concipiuntur diversa attributa, ita ut alia in aliis radicem ac rationem habeant, sicut essentia concipitur esse ratio existentiæ, et necessitas æternitatis, veritas intellectio- nis, et similiter bonitas volitionis. Cum enim voluntatis objectum sit bonum, intelligi nequit actus voluntatis, qui non terminetur ad bonum, et consequenter bonitas infinita est ratio volitionis divinæ. At vero respectu effectuum habet locum in Deo finalis causalitas, quia ipsa increata et incausata volitio et amor bonitatis, simili modo se habet in ordine ad productionem effectuum procurationemque mediorum, ac se habet actus creatæ voluntatis a fine vere causatus, ac proinde objectum volitionis divinæ vere finaliter causare potest effectus ad extra, seu esse causa finalis, cur Deus operetur. «Consistit autem causalitas finis Dei respectu effectuum ad extra in hoc, quod Deus intuitu et amore suæ bonitatis effectus extra se producit: unde ipsamet operatio, quam ad extra habet, essentialiter pendet a Deo tum in ratione efficientis, tum etiam in ratione finis, quia respicit Deum et ut omnipotentem et ut summe bonum, qui ratione suæ bonitatis et dignus est, ut omnia ad ipsum ut ad finem ordinentur, et seipsum dicto eminenti modo inclinât ad communicandum aliis suam bonitatem propter ipsam» (1). Brevi, sicut finis in creatis vere causat in suo genere effectus, causando prius in voluntate amorem sui, quem deinde sequitur electio et applicatio mediorum et operatio externa; ita in Deo bonitas finis,

Respectu
tactus divinæ
voluntatis non
habet
locum finalis
causalitatis.

et respectu
effectuum
voluntatis divinæ
finalis
causalitatis non
repugnat.

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 23, sect. 9, n. 9.

quin causet quiddam in voluntate, ut ametur, vere causat effectus ad extra.

Investigandus
hic est
communis
et ultimus rerum
omnium finis.

Hiscæ præhabitis, varj possunt in mundanis entibus considerari fines, siquidem «unquodque pro naturæ suæ modo captuque hunc aut illum finem proxime respicit, particularia agentia privatam, universalia, quæ uberiori vi prædita sunt, communem. Exempli gratia, leo cum leonem gignit, ad formam leonis geniti, ut ad propinquum finem tendit, docente Aristotele (1); at simul etiam ad propriæ speciei conservationem, ut ad alterum huic innexum et coherentem finem, aspirat. Providit nimirum salutis suæ appetens atque immortalitatis æmula natura, ut singularia dissolubilia, quia per se ab interitu vindicari non poterant, generationum beneficio et nascendi fecunditate servarentur, atque ita quodammodo sempiterna essent, non numero, sed specie: id quod 1.^o de Generatione animalium (2) et 2.^a de Anima (3), Aristoteles docet» (4). At quamquam nostrum non sit nunc singularum entium mundanorum fines persequi, operæ tamen pretium est, atque ad nostrum institutum pertinet generatim ultimum et communem rerum omnium creaturarum finem investigare. Duo itaque inquirenda nobis sunt, primo utrum detur aliquis ultimus finis mundi, secundo quisnam ille sit.

§ I.—ASSERITUR ULTIMUS MUNDI FINIS.

90. PROPOSITIO 1.^a Datur aliquis finis ultimus omnibus mundanis entibus præstitutus.

Datur
aliquis ultimus
finis rebus
omnibus
mundanis
præstitutus.

Prob. 1.^o Omne agens propter finem, necessario intendit finem aliquem ultimum. Ergo etiam Deus, qui proinde non potuit mundum condere, quin illum ad finem aliquem ultimum dirigeret, atque ordinaret.

Prob. antec. In omnibus agentibus propter finem, hoc esse ultimum finem dicimus, ultra quod agens non querit aliquid.

(1) *Physicor.*, lib. 2, cap. 8, text. 81.

(2) Cap. 1.

(3) Cap. 4, text. 34.

(4) *Conimbric.*, *Physicor.*, lib. 2, cap. 8 et 9, quest. 2, art. 1.

sicut actio medici est ad sanitatem, ea vero consecuta, non conatur ad aliquid ulterius. Sed in actione cujuslibet agentis est venire ad aliquid, ultra quod agens non querit aliquid; alias enim actiones in infinitum tenderent. Quod quidem est impossibile, quia cum infinita non sit pertransire, agens agere non inciperet; nihil enim movetur ad id, ad quod impossibile est pervenire. Omne igitur agens agit propter finem (1).

Prob. 2.^o Eandem rationem magis evolvendo. In omni actione vel intenditur unicus finis, vel series finium, unius post et propter alium. In primo casu, jam adest finis ultimus. Sed in altero etiam casu finis abesse nequit; nam in omni serie ordinata, id est entium invicem pendentium, remoto primo removetur ultimum. Atqui in omni serie finium ultimus habet rationem principii, unde reliqui pendet. Ergo remoto ultimo fine, nullus alius potest intendi, ac proinde si supponantur plures fines, oportet, ut detur ultimus.

Minor per se patet. Nam in serie plurium finium ordinatorum hoc modo proceditur, ut primus appetatur propter secundum, secundus propter tertium, et ita porro usque ad ultimum, qui est finis omnium præcedentium: unde appetitio primi pendet a secundo, secundi a tertio, et reliquorum omnium ab ultimo. Et sic quoniam finis debet esse primum in intentione, ultimus finis habet rationem primi moventis respectu reliquorum. Quemadmodum si quis appetat studium Philosophiæ propter Theologiam, hanc vero propter lauream, lauream propter canonicatum, et hunc propter episcopatum aut cardinalatum; evidens est in hac serie a desiderio episcopatus aut cardinalatus pendere omnia præcedentia. Quod si quis non totam hanc seriem finium intendisset ab initio, sed solum canonicatum, vel lauream, illa foret in eo casu finis ultimus, ob quem reliqua appeterentur.

Argumentum porro fit de finibus inter se ordinatis, quia qui non sunt tales, possunt stare alii sine aliis, et singuli sunt ultimi saltem secundum quid, cum non ordinentur ulterius hic et nunc ad alium. Et ideo etiam in hujusmodi finibus, utpote qui per se non conjunguntur, procedi potest in infinitum, id est possunt alii et alii in indefinitum appeti.

(1) S. Thom. 3.^a *Contr. Gent.* c. 2. *Aduc. in omnibus.*

Totum hoc argumentum præclare expositum videatur apud S. Thomam (1).

Dices forte, argumentum istud non probare præcise quod detur finis aliquis simpliciter ultimus et communis pro toto mundo, sed tantum quod detur finis ultimus secundum quid, pro variis nempe seriebus et ordinibus entium.—*Resp. negando.* Incredible enim est Deum toti rerum universitati et complexioni, quæ unitatem quamdam fert ordinis admirabilem, non præfixisse finem unum ultimum toti machinæ communem. Præterea statim probabitur Deum nihil posse agere nisi propter suam bonitatem et propter suam gloriam: ex quo manifeste habetur, ad unum tandem finem simpliciter ultimum a Deo totam rerum universitatem dirigi.

Objic. 1.^o Deus non potest agere propter finem. Nam α) agere propter finem videtur proprium esse fine indigentis. Sed Deus nulla re indiget. Ergo nequit agere propter finem. β) Finis est perfectio agentis. Sed Deus nequit ab alio perfici, cum sit fons omnis perfectionis, a quo suam omnia perfectionem nanciscuntur. Ergo... (2).

Resp. neg. assert. Ad α) *dist.* Major. Agere propter finem tamquam bonum sibi acquirendum, *conc.*; tamquam bonum aliis communicandum, *neg.*

Et concessa Minore, *neg.* conseq. (3).

Ad β) *Concedi* potest totum, *negando* suppositum, videlicet quod Deus agat propter alium finem a se diversum. Apposite Aquinas: *Illud quod agit propter desiderium finis, habet finem extra se, quo perficitur. Hoc autem non convenit Deo, qui agit propter amorem finis, quia ipsemet est sibi finis, a se habitus et amatus: et ideo dicimus, quod divina voluntas non est perfecta quodam alio, sed seipsa, quia ipsa voluntas est bonitas* (4).

(1) 1. 2. quest. 1, art. 4. Cfr. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 74, *Præterea, principale*; lib. 3, cap. 17, *Amplius, in omnibus finibus ordinatis*; Suarez, disp. 24, *Metaph.* sect. 1, ubi fusc tota hæc res versatur.

(2) Vide apud S. Thom., 1 p., quest. 44, art. 4, arg. 1.^o; et 2.^o dist. 1, quest. 2, art. 1, arg. 2.

(3) Cfr. S. Thom., 1 p., quest. 44, art. 4 ad 1.^{um}

(4) S. Thom. 2.^a dist. 1, quest. 2, art. 1 ad 2.^{um}

Objic. 2.^o Si creatio divina foret propter finem, ipse Deus ultimus ad finem ordinaretur, quod absonum est. Et probatur, quia actio creativa est ipsemet Deus vel divina substantia. Ergo si creatio est propter finem, ipsa divina substantia est propter finem.

Resp. neg. assert. Et probation. *dist.* Creatio entitativa et inadæquate considerata est ipsemet Deus vel divina substantia, *conc.*; adæquate ac terminative considerata, *neg.*, et *neg.* conseq. *Actio divina est essentia ejus*, inquit S. Thomas; *et ex hac parte non queritur finis ejus, sed ex parte illa, qua effectum creaturæ communicat* (1).

§ II.—QUISNAM SI FINIS ULTIMUS RERUM CREATARUM.

91. Sententia fuit apud Philosophos ac Theologos christianos communissima, Deum corpoream naturam in commodum creaturæ rationalis condidisse, omnia vero, non exclusa ipsa rationali creatura, in gloriam suam tamquam in primarium et supremum finem ordinasse: quare omnia Deum creasse propter suam bonitatem, non quidem acquirendam vel augendam in seipsa, sed aliis communicandam. Quam doctrinam bifariam impugnatam esse reperio a recentioribus: primo enim mundum ob solam hominis felicitatem conditum esse affirmant Moshemius, Wegscheider, Kant (2), Baylius (3), alique, quibus postea adstipulati sunt Hermes (4)

Doctrina
scholasticorum.

bifariam
impugnata
a recentioribus.

(1) S. Thom. 2.^a dist. 1, quest. 2, art. 1 ad 4.^{um}

(2) Apud Em. Card. Mazzella, *de Deo create*, disp. 1, art. 9, n. 177.

(3) Apud Spanni, *de Mundo*, n. 337.

(4) «Deus, inquit, creavit hominem propter hominem, et quidem ad ejus felicitatem; nam Deus, ut est ens moraliter perfectum et bonum, non potuit ei male, sed unice bene velle. Dixi et quidem ad ejus felicitatem, hoc est, non ad sensibilem felicitatem, nam fructio sensibilis non habet valorem immutabilem pro ente rationali sensibili, et nunquam erit in eo digna, sed ad felicitatem, quæ oritur ea convenientia moraliter libere acquisita. Cætera omnia super terram non possumus admittere nisi propter hominem facta esse. Homo igitur erit inter omnes creaturas unicum ens, propter quod Deus hunc mundum condidit». «Hermes, *Introduct. Philos.*, quest. 2, paragr. 71). Alibi ambitio plenum esse scribit agere propter suum honorem. (*Dogmatica*, part. 2, cap. 3).

et Hegel (1). Aliorum castissimæ aures ferre non possunt, quod dicatur Deus ullo modo tantam rerum multitudinem magnitudinemque propter hominem creasse. Exemplum ita opinandi cæteris præbere potuit Cartesius, cavendum esse monens, ne nimis superbe de nobis sentiamus, propter nostrum dumtaxat usum creasse Deum omnia existimantes (2). Quamquam enim cogitatio hæc pia, quantum mores attinet, bona sit, plurimumque valeat ad excitandos homines de amorem et laudem Dei gratiarumque actionem, verisimile tamen non esse, ita Deum propter nos omnia creasse, ut nullum alium sibi propositum finem habuisset, cum potissimum innumera sint et fuerint in mundo, quæ nec cadere sub aspectum ullius hominis potuerunt, nec ullum eisdem usum commodumve afferre (3). Cartesio applauserunt postea multi apud Paulum Janet, qui eisdem adheret (4); nec defuerunt etiam auctores catholici ac cæterotquin graves, qui ita scriberent, ut veterum hac in re sententiam erubescere viderentur. Et quamquam doctrinam, quam Cartesius carpit, eo modo quo illam proponit, nullus, quem ego sciam, inter veteres catholicos scriptores tenuerit, quod enim homo sit *unicus aut certe supremus finis* creationis, vox est non catholicorum, sed heterodoxorum hominum; quidam tamen videntur illam iniquissime clarissimis sapientissimisque magistris appingere.

Ut ergo ad catholicam, eamque verissimam, veterum doctrinam regrediamur, illam paucis præclare complexus est Aquinas (5) in quodam loco, quem superius exscripsimus, agentes de ordine mundano (6); quo in testimonio duo continentur, nunc nobis propugnanda: primum, creaturam omnem irrationalem in bonum hominis conditam esse;

(1) Hegel ipsam Sanctam Scripturam sugillat, inquit. Card. Mazzella, eo quod Deum amore proprio plenum et omnia ad gloriam suam trahentem proponat, neque hunc divinum egoismum blasphemis vocibus prosequi veretur. Card. Mazzella loc. cit.

(2) Cartesius, *de Principiis*, part. 3, n. 2.

(3) *Ibid.* n. 3.

(4) *Les causes finales*, Appendice, paragr. VIII.

(5) S. Thom. 1 p., quest. 65, art. 2.

(6) Vide supra n. 25, pag. 59, in nota.

alterum, omnia prorsus creata tandem ad gloriam divinam ordinari tamquam ad ultimum finem. Ut hoc alterum melius declaretur, notandum est, quod gloria, ex S. Augustino (1), est clara cum laude notitia. Est enim sciendum, quod sicut Augustinus dicit super Joannem (2), gloria claritatem quamdam importat, unde glorificari et clarificari pro eodem in Evangelio sumuntur. Claritas autem importat evidentiam quamdam, secundum quam aliquid sit conspicuum et manifestum in suo splendore: et ideo gloria, importat quamdam manifestationem in bono. Si autem manifestatur malum alicujus jam non dicitur gloria, sed magis ignominia: et propter hoc Ambrosius dicit super epistolam ad Roman., quod gloria est clara cum laude notitia... Consideratur autem gloria secundum triplicem statum... nam secundum maximum sui statum gloria consistit in hoc, quod bonum alicujus multitudini manifestatur: hoc enim clarum esse dicimus, quod ab omnibus vel a multis perspicue videri potest. Unde Tullius dicit (3), quod gloria est frequens fama cum laude... Sed tamen secundo modo gloria dicitur secundum aliquem sui statum, prout bonum unius vel paucis vel uni soli manifestatur. Tertio modo gloria dicitur secundum quod bonum alicujus consistit in consideratione sui ipsius, scilicet quod aliquis considerat bonum suum sub ratione cujusdam claritatis, ut manifestandum et admirandum multis. Et secundum hoc aliquis dicitur gloriari, cum aliquis appetit, vel etiam delectatur circa manifestationem sui boni vel ad multitudinem vel ad aliquos paucos, sive ad unum vel ad seipsum tantum (4). Et quoniam ad laudem et commendationem rei spectat non sola notitia, verum amor etiam et gaudium de ejusdem possessione ac perfectione; gloria complectitur non solos actus cognitionis verum etiam amoris aliosque similes. Hinc vides, quomodo se habeat gloria respectu honoris ac laudis, cum quibus sæpe solet etiam permisceri propter arctissimam, qua cum iisdem tenetur, necessitudinem: nam gloria est quidam effectus honoris et laudis, ex hoc enim quod aliquis laudatur, vel

Quid gloria.

quosque actus complectitur:

discrimen
ejus ab honore
ac laude.

(1) *Contr. Maxim.*, lib. 3, cap. 13.

(2) Tract. 82 et 100 a princip. et 104 vers. fin.

(3) *De Inventione*, lib. 2.

(4) S. Thom. *de Malo*, quest. 9, art. 1. Cfr. 2, 2, quest. 132, art. 1; *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 29.

quæcumque reverentia ei exhiberetur, redditur clarus in notitia aliorum (1).

Cæterum gloria sumi potest non solum in sensu formali, sed etiam in sensu objectivo, nec solum pro gloria interna ipsius personæ laudatæ, sed præterea de illa, quæ extrinseca advenit. Quare multi post P. Leonardum Lessium divinam gloriam primo dividunt in internam et externam et utramque mox in formalem et objectivam seu fundamentalem. «Objectiva gloria Deo intrinseca est ipsa divinitas seu splendor et excellentia divinitatis et Personarum divinarum; ob hanc enim dignissimus est, qui ab omnibus cognoscatur, ametur, laudetur etc. Sic passim in Scripturis excellentia divinitatis et omnia hujus excellentiæ signa dicuntur gloria Dei. Formalis gloria Deo intrinseca est cognitio, amor et gaudium Dei de seipso; sive quod ipse a seipso infinite et adæquate cognoscatur, ametur, et cum infinito gaudio ac suavitate gustetur, infinite enim major est gloria Dei, quod ipsius bonitas et perfectio a se cognoscatur, ametur, æstimetur, quam si amaretur et laudaretur ab infinitis angelis et hominibus». Gloria externa objectiva «consistit in excellentia et pulchritudine rerum creaturarum, sed maxime filiorum Dei, ut sunt omnes beati. Sicut enim gloria Principis sæcularis dicitur consistere potissimum in splendore et multitudine aulicorum: ita externa gloria Dei objectiva consistit potissimum in splendore et multitudine aulicorum cælestium, secundario in aliis rebus creatis...» Gloria formalis sita est in actibus cognitionis, amoris et laudis, admirationis, venerationis et gaudii, quibus creaturæ intellectuales prosequuntur divinam excellentiam, sive nunc in mundo corporeo tamquam

(1) S. Thom. 2. 2. quest. 132, art. 2. Cfr. ibid. quest. 103, art. 1, ad 3.^{um} Alibi hæc scribit idem S. Doctor: *Laus autem distinguitur ab honore dupliciter: uno modo quia laus consistit in solis signis verborum, honor autem in quibuscumque exterioribus signis; et secundum hoc laus in honore includitur. Alio modo quia per exhibitionem honoris testimonium reddimus de excellentia bonitatis alicujus absolute; sed per laudem testificamur de bonitate alicujus in ordine ad finem, sicut laudamus bene operantem propter finem. Honor autem est etiam optimum, quæ non ordinantur ad finem, sed jam sunt in fine, ut patet per Philosophum in 1.^o Ethicor., cap. 5. (S. Thom. 2. 2. quest. 103, art. 1 ad 3.^{um})*

in speculo relucentem, sive postea in seipso inspectam pro visionem beatificam, ut nunc supponimus ex doctrina Fidei (1).

Sæpe dici solet etiam a Theologis ac Philosophis catholicis, Deum creasse mundum propter suam bonitatem, vel etiam omnia tendere ad divinam similitudinem, tamquam ad ultimum finem. Verum hæc formæ loquendi, quamvis diversas rationes præ se ferant, quoad rem ipsam idem valent, ac illa nuper declarata, secundum quam Deus dicitur omnia propter suam gloriam creasse. Quid enim? Deus certe creavit mundum propter suam bonitatem, non quidem acquirendam vel augendam, sed aliis communicandam, prout secundum Fidem divinam tenent omnes catholici scriptores. Et quoniam divina bonitas nequit communicari rebus creatis, nisi secundum participationem entitatis ac perfectionum, quæ divinam quandam similitudinem gerant; plane sequitur perinde esse Deum creare propter suam bonitatem, ac creari, ut sint alia quoque entia divinas perfectiones imitantia, seu ut alia Deo assimilentur. Jam vero eo ipso, quod adsint alia entia divinam bonitatem modo prædicto participantia, jam relucet in his omnibus divina gloria objectiva extrinseca, quam intuentes creaturæ rationales ascendunt ad cognoscenda in hac vita abstractivè divinam gloriam internam, eamque laudandam et amandam; sicque sancte vivendo disponuntur ad eandem intuitive videndam, et amore consentaneo amandam in cælo cum ineffabili gaudio et jucunditate. Ergo iterum eadem doctrina exprimitur quoad rem ipsam, dicendo Deum creasse mundum propter suam bonitatem, ac dicendo creasse propter suam gloriam: quamvis prius videatur a nobis concipi communicatio divinæ bonitatis, ac postea gloria Dei tamquam corollarium prioris, et sic quidam veluti gradus distingui possint, prout innuit Angelicus in illis verbis superius recitatis: *Totum universum cum suis partibus ordinatur in Deum, in quantum in eis per quandam imitationem divina bonitas representatur ad gloriam Dei (2).*

(1) Vide P. Leonardum Lessium, *de Perfectionibus moribusque divinis*, lib. 1.^o, cap. n. 7.

(2) S. Thom., 1. p., quest. 65, art. 2.

Hisce pro terminorum sententiæque declaratione prælibatis, sit

92. PROPOSITIO I.^a *Finis proximus atque immediatus mundi corporei verissime dicitur esse bonum creaturæ rationalis, ac nominatim hominis.*

Hic probandum nobis est solummodo hominem esse finem mundi corporei; quod enim non sit primarius et ultimus simpliciter, sed tantum secundarius, constabit ex dicendis in sequenti propositione.

Homo est
finis proximus
atque
immediatus
corporei
mundi.

Propositio hæc videtur ipsis sacris Litteris haud obscure significari: *Ecce dedi vobis*, ait Deus ad protoparentes nostros, *omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quæ habent in semetipso sementem generis sui, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terræ etc.* (1). Item: *Omne quod movetur, et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera viventia tradidi vobis omnia* (2); quare etiam dedit Deus homini dominium super terram: *Crescite et multiplicamini et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cæli, et universis animantibus, quæ moventur super terram* (3). Et alibi: *Omnia subiecisti sub pedibus ejus* (4). In quibus videt aperte Deum in creatione regni vegetalis et animalis intendisse bonum et utilitatem hominis. Audi nunc ipsum Deum idem satis significantem de cælestibus corporibus: *Fiant luminaria in firmamento cæli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos, ut luceant in firmamento cæli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei; et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas. Et posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram, et præessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras* (5). Et alibi: *Ne forte elevatis oculis ad cælum, videas solem et lunam et omnia astra cæli, et errore deceptus adores ea, et*

(1) *Genes.* cap. 1, v. 29, 30.

(2) *Genes.* cap. 9, v. 5. Cfr. *ibid.* cap. 1, v. 26; et *Psalms.* 103, ubi plura in hanc rem reperies; *Isaia* cap. 45, v. 18.

(3) *Genes.* cap. 1, v. 28.

(4) *Psalms.* 8, v. 7 et 8.

(5) *Genes.* cap. 1, v. 14.

colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt (1).

Quare nihil mirum si ecclesiastici scriptores communi consensu doctrinam hanc tradiderint. Quod Theologos attinet, unum aut alterum in exemplum laudare sufficiat. Magister Sententiarum hæc habet: *Et sicut factus est homo propter Deum, id est, ut ei serviret, ita mundus factus est propter hominem, ut ei serviret. Positus est ergo homo in medio, ut et ei serviretur, et ipse serviret, ut acciperet utrumque, et restitueret totum et bonum hominis, et quod accepit obsequium, et quod impendit. Ita enim voluit Deus ab homine serviri, ut ea servitute non Deus, sed homo serviens juvaretur; et voluit ut mundus serviret homini, et exinde similiter juvaretur homo. Totum igitur bonum hominis erat, et quod factum est propter ipsum, et propter quod factus est ipse etc.* (2).

Sed audiatur pro reliquis omnibus S. Tomas: *Finis aliqujus rei dicitur dupliciter: vel in quem tendit naturaliter, vel ex eo quod ad ipsum sicut ad finem ordinari dicitur, ut utilitatem aliquam consequatur secundum intentionem et ordinem agentis. Utroque autem modo homo finis creaturarum dicitur: et primus quidem ex parte operis, sed secundus ex parte agentis* (3). *Differenter tamen homo dicitur finis, et divina*

(1) *Deuterom.* cap. 4, v. 19.

(2) *Lib. 2.^{us} Sentent.* dist. Cofr. S. Bonaventura, 2.^o dist. 1. 2.^a part. art. 2, quæst. 1.

(3) Hic excluditur scrupulus quorundam recentiorum, qui negant Deum in modo creando habuisse finem, quem dicunt operantis. S. Thomas aperte contrarium proficitur, ut vides, nec ullibi apud antiquos DD. memini me exclusam reperisse in creatione mundi finem operantis. Cæterum passim occurrunt exempla finium operantis in divinis operibus. Abraham creavit, et elegit Deus in auctorem sui populi electi, Moysen in ducem Israelitarum, Saulam ac Davidem in reges Israel; Josias est directus divinitus in penitentiam gentis (*Ecccl.* cap. 47, v. 3). Apostoli ut essent in lucem gentium et in salutem usque ad extremum terræ (*Isaia*, cap. 49, v. 6; *Act. apost.* cap. 13, v. 47), ac nominatim S. Paulus vas electionis, ut portaret nomen Dominicorum gentibus et regibus et filiis Israel. Denique ut infinita alia omittam, ignem æternum Deus paravit diabolo et angelis ejus (*Matt.* cap. 25, v. 41), ut eos cruciaret. In his omnibus præter finem operis, illum nempe ad quem opus ex natura sua dirigitur, relictur finis operantis. Præterea ordinatio et elevatio hominis in ordinem

bonitas: quia ex parte agentis divina bonitas est finis rerum, sicut ultimum intentum ab agente; sed natura humana non est intenta a Deo, quasi movens voluntatem ejus, sed sicut ad ejus utilitatem est ordinatus effectus ejus. Ipse enim duplicem ordinem in universo instituit: principalem scilicet, et secundarium. Principalis est, secundum quod ordinantur in ipsam, et secundarium est, secundum quod una juvat aliam in percipiendo ad similitudinem divinam etc. (1). Quibus affinia sunt hæc: sicut una pars exercitus ordinatur ad aliam, et ad ducem; ita corporalis creatura ordinatur et ad perfectionem spiritualis creaturæ juvandam, et ad divinam bonitatem representandam (2). Ex qua sententia S. Thomas rationem repetit, cur post resurrectionem hominis secundum carnem, corporeus quoque mundus innovandus sit, atque in melius commutandus, quemadmodum superius docuimus. Omnia, inquit, corporalia propter hominem facta esse creduntur: unde et omnia dicuntur ei esse subjecta. Serviant autem ei dupliciter: uno modo ad sustentationem vitæ corporalis; alio modo ad profectum divinæ cognitionis, in quantum homo per ea, quæ facta sunt, invisibilia Dei conspiciat, ut dicitur Rom. 1.^a etc. (3). Hujus denique propositionis doctrinam expressit S. Pater noster Ignatius in libello Exercitiorum (4).

Probatur autem 1.^o Corporeus mundus propter hominem, tamquam propter finem immediatum et secundarium, creatus recte dicitur, si totus in ejus commodum et bonum cedit. Atqui ita se res habet. Ergo...

Major videtur constare. Nam nullo manifestiori signo cognoscitur finis ab artifice in fabricando opere intentus.

Minor perspicue declaratur a S. Thoma. Quia... eadem res generatur et conservatur in esse; secundum ordinem

supernaturalem tota quanta afferri potest in exemplum finis operantis. Equidem capere non possum, quomodo Deus nequeat præter fines, ad quos opus naturaliter dirigitur, alios quoque intendere ad majorem suam gloriam secundum benevolentissimæ sapientiæ suæ consilium.

(1) S. Thom. 2.^a dist. 1. quest. 2, art. 3 in corp. Cfr. ib. ad 1.^{am} et 2.^{am}

(2) S. Thom., de Potent. quest. 5, art. 4, ad 2.^{am}

(3) S. Thom. 4.^a dist. 48, quest. 2, art. 1. Cfr. Contr. Gent. lib. 4, cap. ult. de Potent. quest. 5, art. 9; de Anima, lib. 2, lect. 7, paragr. f.

(4) In Princip. et Fundam.

præmissum in generationibus rerum, est etiam ordo in conservationibus. Unde videmus, quod corpora mixta (chimice composita) sustentantur per elementorum congruas qualitates; plantæ vero ex mixtis corporibus nutriuntur; animalia ex plantis nutrimentum habent; et quædam etiam perfectiora et virtuosiora ex quibusdam imperfectioribus et infirmioribus. Homo vero utitur omnium rerum generibus ad sui utilitatem, quibusdam quidem ad esum, quibusdam vero ad vestitum (unde et a natura nudus est institutus, utpote potens ex aliis sibi vestitum præstare: sicut etiam nullum sibi congruum nutrimentum natura præparavit nisi lac, ut ex diversis rebus sibi cibum conquireret); quibusdam vero ad vehiculum, nam in motus celeritate et in fortitudine ad sustinendos labores multis animalibus infirmior invenitur, quasi aliis animalibus ad auxilium sibi præparatis. Et super hoc omnibus sensibilibus utitur ad intellectualis cognitionis perfectionem. Unde et de homine in Psalmis (1) dicitur ad Deum directo sermone: Omnia subiecisti sub pedibus ejus (2).

Unde sic argumentari licet. Incredibile est Deum in creatione mundi non intendisse tamquam finem secundarium ea, quibus homo eget, vel certe summopere juvatur ad vitam suam et physicam et intentionalem per scientiarum acquisitionem, immo et ad finem suum ultimum assequendum. Atqui talis est corporeus mundus respectu hominis. Nam aliis eget, vel juvatur proximè vel remote ad nutrimentum, habitationem, vestitum, commoditatem, honestam recreationem aliosve usus: quare etiam non prius conditus est homo, quam terra copiosissimo rerum omnium, ad vitam domini sui sustentandam necessarium vel utilium, apparatus quasi dignum rege domicilium magnificentissime instructa esset. Sic ergo omnia serviunt hominis aut necessitati, aut utilitati, aut oblectationi, omniaque possunt esse media ad virtutem æternamque salutem attingendam, sive contemplatione, ascendendo a creaturis ad cognitionem et amorem Dei; sive usu, utendo illis secundum leges honestatis rectæque rationis; sive abstinèntia, compescendo appetitum eorum.

(1) Psalm. 8, v. 8.

(2) S. Thom. Contr. Gent. lib. 3, cap. 22. Cfr. 1 p. quest. 96, art. 1.

quæ usurpata nocere virtuti possent (1). Decebat enim, ut Deus, amantissimus providentissimusque Pater, qui hominem in mundo constituēbat tamquam in palæstra, in qua per virtutis exercitationem felicitatem æternam tamquam præmiū mereretur, res ita ordinaret ad disponeret, ut nihil illi nocere, omnia, si ipse vellet, ad eum finem assequendum juvare possent. Quapropter in exponendo fine secundario hujus mundi negligendus non est, sed præcipua quadam ratione respiciendus, ordo moralis et exercitatio virtutis, quam Deus in homine creando non potuit non intendere, ut ei quem principem *super opera manuum suarum* (2) præfecerat, sive in prosperis sive in adversis omnia, si ipsemet vellet, *cooperarentur in bonum* (3).

Prob. 2.^o Propositio ex eo, quod homo sit quoddammodo meta et scopus naturæ in serie generationum. Nam ut egregie declarat S. Thomas, *quanto aliquis actus est posterior et magis perfectus, tanto principalius in idipsum appetitus materiæ fertur. Unde oportet, quod in ulteriorem et perfectissimum actum, quem materia consequi potest, tendat appetitus materiæ, quo appetit formam, sicut in ultimum finem generationis. In actibus autem formarum, gradus quidam inveniuntur. Nam materia prima est in potentia primum ad formam elementi; sub forma vero elementi existens, est in potentia ad formam mixti, propter quod elementa sunt materia mixti; sub forma autem mixti considerata, est in potentia ad animam vegetabilem, nam talis corporis anima actus est. Itemque anima vegetabilis est in potentia ad sensitivam, sensitiva vero ad intellectivam, quod processus generationis ostendit; primo enim in generatione est fetus vivens vita plantæ, postmodum vero vita animalis, demum vero*

(1) Vide R. P. Joan. Roothaan in expositione *Principii et Fundamenti* Exercitior. S. Ignatii. *Cœlum, terra et mare*, inquit S. Propter, omnisque creatura, quæ videri atque intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de tot contemplatione specierum, de experimento tot honorum ad cultum et dilectionem sui imbueretur Auctoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur, et sumus. *De Vocat. Gent.* lib. 2, cap. 4.

(2) Cfr. *Psalm.* 8.

(3) Cfr. *Rom.* cap. 8. v. 28.

vita hominis. Post hanc autem formam non inventur in generabilibus et corruptibilibus posterior forma et dignior. Ultimus igitur generationis totius gradus est anima humana, et in hanc tendit materia sicut in ultimam formam. Sunt ergo elementa propter corpora mixta, hæc vero propter vivencia, in quibus plantæ sunt propter animalia, animalia propter hominem, homo enim est finis totius generationis (1).

Ut vides prima duarum istarum probationum ostendit hominem esse finem *cui*, altera finem *qui* secundarium reliquæ visibilis creationis. Cæterum his non obstat, quominus ipse homo ulterius ordinetur, tamquam ad finem ultimum secundum quid, ad bonum et conservationem mundi; cujus est pars præcipua et nobilissima (2); partes enim alicujus totius, licet possint esse aliæ propter alias, sicut materia propter formam, ulterius tamen omnes ordinantur ad *esse* ac bonum totius ipsius.

93. Objic. 1.^o Nemo ordinate operans intendit id, quod se vilius est. Sed homo infinite Deo vilius est. Non potuit ergo Deus omnia propter hominem facere.

Resp. *dist.* Major.: tamquam finem præcipuum vel ultimum, *conc.*; tamquam minus præcipuum et secundarium *neg.*

Et concessa Minore, *dist.* similiter conseq. (3).

Objic. 2.^o Sicut universale agens non potest esse, nisi primum agens, ita finis universalis non potest esse, nisi finis ultimus. Atqui homo non est finis ultimus creaturæ corporeæ, sed solum bonitas vel gloria divina, ut mox probandum erit. Ergo nec potest esse universalis finis omnis corpori mundi.

Resp. *dist.* Minor. Homo non est finis simpliciter ultimus, ac prout primarius, *conc.*; secundum quid ultimus et secundarius, *neg.* Et similiter *dist.* conseq. (4)

Objic. 3.^o Sapientis artificis non est facere multa magna instrumenta propter aliquid parvum. Sed humana natura est

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 22. Cfr. 2.^o dist. 1, quæst. 2, art. 3; *Conimbric.* cap. 8-9, quæst. 2, art.

(2) Cfr. S. Thom., 1.^o p., quæst. 65, art. 2; *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 86.

(3) S. Thom., 2.^o dist. 1, quæst. 2, art. 3 ad 1.^{um}

(4) S. Thom., *ibid.* ad 2.^{um}

quasi quoddam minimum in universo. Ergo videtur ridiculum, quod totum universum propter hominem factum sit (1). Hoc argumentum, quod dudum sibi objecerat S. Thomas, ac dissolverat, movit multos recentiores ad negandam communem, quam tuetur, sententiam veterum.

Resp. cum eodem Angelico Doctore, quod omnis creatura corporalis, quantumcumque sit magna quantitate, est tamen inferior homine ratione intellectus. Unde non est inconveniens (2), si homo est finis omnis creaturæ, non sicut ultimo intentum ab omni creatura, sed sicut illud, cui provenit utilitas ex omni creatura (3), et quidem utilitas prævisita et ordinata a Deo (4). Immo vero in hoc sensu docet S. Thomas ipsos angelos, quantumvis homine nobiliores secundum conditionem naturæ, posse dici esse propter hominem, sicut ex quibus provenit homini utilitas, velut si diceretur regem esse constitutum propter aliquem rusticum, cui provenit utilitas pacis propter leges regis (5).

Objic. 4.^o «Illud, quod non juvat ad id, propter quod fit, est superfluum et inane. Sed multa sunt in universo, quæ sunt homini nociva, ut serpentes, spinæ et hujusmodi: multa sunt etiam, ex quibus nullum juvamentum habet, sicut aliqui pisces in profundo maris existentes. Ergo cum nihil sit vanum in operibus Dei, videtur quod non omnia propter hominem facta sunt» (6). Ita iterum sibi objiciebat S. Thomas, et ita etiam plures recentiores objiciunt, qui obliiti rerum innumerarum, quæ manifestissima homini afferunt commoda, quasdam alias opponunt, quarum non habetur cognitio nec usus.

Respondeo cum Angelico, quod hujusmodi non fuerunt a principio homini nociva, sed postea per peccatum nociva sibi facta sunt; ex quibus tamen aliqua utilitas sibi provenit, dum per hoc humilior fit, et in talibus etiam visibilibus gloriam et sapientiam Dei considerat. Et sic in utilitatem cedunt ea, quæ

- (1) Apud S. Thom., ibid. arg. 3.
- (2) S. Thom., 2.^o dist. 1, quæst. 2, art. 3 ad 3.^{um}
- (3) S. Thom., ibid. ad 2.^{um}
- (4) Cfr. S. Thom., ibid. in corp. articuli.
- (5) S. Thom., ibid. ad 3.^{um}
- (6) Apud S. Thom. 2.^o dist. 1, quæst. 2, art. 2, arg. 4.

in usum operis ejus non veniunt, dum de eis aliquam cognitionem habet, vel in universali vel in particulari (1).

94. PROPOSITIO 2.^a Finis primarius ac simpliciter ultimus mundi et omnium creatorum vel creabilium non potest alius esse, quam Deus vel divina bonitas, non quidem acquirenda vel augenda, sed aliis communicanda; ac proinde res omnes creatæ sunt, ut divinæ voluntati assimilentur.

Probatur prima pars: finis ultimus mundi est Deus vel bonitas divina. Ille est primarius ac simpliciter ultimus finis mundi, quem in eo creando sibi ultimo proposuit Deus. Ut enim scribit Aquinas, idem finis est agentis et patientis (i. e. recipientis) in quantum hujusmodi, sed aliter et aliter. Unum enim et idem est, quod agens intendit imprimere, et quod patientis intendit recipere (2). Atqui Deus nihil potest efficere nisi propter bonitatem, tamquam primarium et simpliciter ultimum finem. Ergo...

Minor probatur multifariam. 2) Finis, ac potissimum ultimus, comparatur ad voluntatem, sicut movens ad motum. Si ergo Deus posset quidquam efficere nisi propter suam bonitatem, adesset aliquid aliud Deum movens. Atqui id repugnat prorsus enti a se independentissimo et absolutissimo (3).

3) Finis, ac potissimum ultimus, est causa prima in ordine causarum, quemadmodum ostendimus in *Ontologia*. Sed repugnat aliquid extra Deum habere rationem causæ primæ in divinis operationibus. Ergo...

4) Ens summe ordinatum debet omnia velle et amare secundum ordinem bonitatis atque amabilitatis. Atqui Deus est supra omnia bonus et amabilis, neque est aliquid bonum et amabile, nisi per participationem divinæ bonitatis. Ergo nihil potest velle Deus, nisi propter suam bonitatem (4).

Finis
ultimus mundi
est Deus
vel bonitas
divina.

- (1) S. Thom. ibid. ad 4.^{um}
- (2) S. Thom. 1 p., quæst. 44, art. 4.
- (3) Vide S. Thom. 1.^o *Contr. Gent.* cap. 74, *Item, appetibile.*
- (4) Vide S. Thom. 1.^o *Contr. Gent.* cap. 74, *Præterea, principale;* lib. 3.^o, c. 17, *Præterea, finis inter alias causas.*

8) Finis simpliciter et absolute ultimus necessario est summum bonum. Solus autem Deus est summum bonum. Sane finis ultimus est ille, ad quem cæteri subordinantur, ipse vero nequit ulterius ad alium ordinari. Jam in recto ordine non potest majus bonum ordinari ad minus, vel appeti propter minus, sed e converso minus bonum ordinari debet ad majus, et illud quod jam nequit ulterius ordinari, debet esse omnium summum et maximum. Quoniam ergo finis est bonum, ultimus simpliciter debet esse summum bonum (1).

9) «Ratio causæ finalis perfecta est, et de se pertinet ad perfectionem simpliciter. Ergo convenit Deo in summo gradu perfectionis; tum quia omnis perfectio simpliciter, est in Deo in summo gradu; tum etiam quia cum bonitas sit ratio causandi finaliter, et Deus sit summum bonum, necesse est, ut rationem et perfectionem finalis causæ in summo habeat. Sicut autem summa perfectio in ordine efficientium est, quod sit primum et universalissimum; ita in ordine finium, quod sit ultimus et universalissimus. Ergo talis perfectio necessaria tribuenda est Deo» (2).

Plura si cupis, adi S. Thomam (3). Estque doctrina hæc tradita in sacris Litteris, in quibus legitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (4). Et: *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis* (5).

Secunda pars: *mundus conditus est non ad augendam, sed ad communicandam aliis divinam bonitatem, ac proinde ut divinæ bonitati assimiletur.*

Prob. 1.^o Deum agere propter suam bonitatem, vel omnia tendere in divinam bonitatem, posset intelligi ita, ut agat propter bonitatem acquirendam et augendam: id est, ut

Mundus non est conditus ad augendam, sed ad communicandam aliis divinam bonitatem; ac proinde ut divinæ bonitati assimiletur.

(1) Vide S. Thom. lib. 3. *Contr. Gent.* c. 16, 17; Suar. disp. 24, sect. 1, n. 14.

(2) Suarez loc. nup. cit.

(3) Vide S. Thom. 3.^o *Contr. Gent.*, c. 17 seqq.; 1 p., q. 10, a. 1 ad 1.^{um}; a. 2, ad 2.^{um}; 1 p., q. 44, a. 4; q. 65, a. 2; 2.^o dist. 1, q. 2, a. 2; 4.^o dist. 49, q. 1, art. 2, solut. 2; *Compend. Theol.* cap. 101, et alibi. Cfr. Suar. disp. 24 *Metaph.*, sect. 1, n. 14; sect. 2, n. 11.

(4) *Proverb.* cap. 16, v. 4.

(5) *Apocal.* cap. 1, v. 8.

loquitur S. Thomas (1), *ex desiderio suæ bonitatis*, vel propter bonitatem suam aliis impertiendam, id est, *ex amore bonitatis suæ*. Atqui Deus, utpote perfectissimus et infinite bonus, nequit agere ad acquirendam vel augendam bonitatem, ex desiderio nempe bonitatis, qua caret. Ergo non potest agere, nisi ad eam aliis communicandam; quia nimirum cum amet et infinite delectetur perfectione sua, vult etiam alios ejusdem perfectionem suam in individuo vel in specie, ut ita dicam, communicare. Ergo sequitur, ut illam communicet secundum similitudinem, largiendo creaturis bona, quæ similitudinem, utcumque deficientem, gerant cum divina bonitate.

Audiat Angelicus: *Agere hoc modo* (propter finem) *est dupliciter, vel propter desiderium finis, vel propter amorem finis: desiderium enim est rei non habitæ, sed amor est rei, quæ habetur, ut Augustinus dicit* (2). *Et ideo omni creaturæ convenit agere propter desiderium finis, quia unicuique creaturæ acquiritur bonum ab alio, quod ex se non habet. Sed Deo competit agere propter amorem finis, cujus bonitati nihil addi potest. Ipse enim bonitatem suam perfecte amat, et ex hoc vult, quod bonitas sua multipliciter per modum, qui possibilis est, ex sui scilicet similitudine, ex quo provenit utilitas creaturæ, in quantum similitudinem divinæ bonitatis recipit. Et ideo dicitur in littera* (in textu nempe Magistri Sententiarum), *quod Deus fecit creaturam propter bonitatem suam, considerando finem operantis, et propter utilitatem creaturæ, considerando finem operis. Et propter hoc etiam dicit Augustinus* (3), *quod in quantum Deus est bonus, sumus: Et Dionysius dicit* (4), *quod divinus amor non dimisit eum sine germine* (5).

(1) 2 dist. 1, quæst. 2, art. 1 in corp., et ad 2.^{um} et 3.^{um}

(2) *Super Psalm.* 118, serm. 8, prope fin.

(3) *De Doctr. Christ.* c. 13.

(4) *De divin. Nomin.* cap. 4.

(5) S. Thom. 2.^o dist. 1, quæst. 2, art. 1. Cfr. *Contr. Gent.*, lib. 2, c. 35, *Ad hoc autem inquirendum*; et lib. 3. *Contr. Gent.* cap. 18, *Amplius... et Adhuc...; Compend. Theol.* cap. 103, *Præterea, si sint multa agentia*, 1 p. quæst. 44, art. 4; quæst. 47, art. 1.

Prob. 2.^o Quicumque finis assignetur mundo mundanis-que rebus, semper erit aliquod bonum vel perfectio sibi conveniens. Atqui omne bonum omnisque perfectio est imago et similitudo infinitæ bonitatis Dei. Ergo... (1).

Prob. 3.^o Omne agens agit sibi simile, ac proinde omnis effectus natura sua tendit ad exprimendam efficientis causæ similitudinem: et in hoc sensu forma generati est finis generationis. Atqui Deus efficit omnia. Ergo etiam omnia tendunt ad divinam similitudinem, tamquam in ultimum finem. Apposite S. Thomas: *Agens dicitur esse finis effectus, in quantum effectus tendit in similitudinem agentis: unde forma generati est finis generationis. Sed Deus ita est finis rerum, quod est etiam primum agens earum. Omnia igitur tendunt, sicut ad ultimum finem, Deo assimilari* (2).

Prob. 4.^o In omnibus rebus evidenter apparet, quod esse appetunt naturaliter: unde et si qua corrumpi possunt, naturaliter corruptentibus resistunt... Secundum hoc autem esse habent omnia, quod Deo assimilantur, qui est ipsum esse subsistens, cum omnia sint solum, quasi esse participantia. Omnia igitur appetunt quasi ultimum finem, Deo assimilari (3).

Hinc omnia dicuntur divinam appetere similitudinem (4). Intendunt autem assimilari Deo tum in essendo, tum in operando et causando. Etenim sicut omnibus creaturis commune est, ut divinam bonitatem repræsentent, in quantum sunt, ita omnibus commune est, ut per operationes suas consequantur divinam similitudinem in conservatione sui esse, et communicatione sui esse ad alterum. Unaquæque enim creatura in sua operatione, primo quidem se in esse perfecto secundum quod possibile est, conservare nititur, in quo suo modo tendit in similitudinem divinæ perpetuitatis. Secundo vero per suam operationem unaquæque creatura suum esse perfectum alteri communicare conatur secundum suum modum, et per hoc tendit

(1) Vide S. Thom. 3.^a Contr. Gent. c. 19. Adhuc, omnis res; *Comp. Theol.* cap. 103; 1. p. q. 44. a. 4 ad 3.^{um}

(2) S. Thom. 3.^a Contr. Gent. c. 19. Amplius, agens dicitur...; *Compend. Theol.* cap. 101. Item finis generationis.

(3) S. Thom. 3.^a Contr. Gent. cap. 19. Item, in omnibus.

(4) Vide S. Thom. 1. p. q. 44. a. 4 ad 3.^{um}; 1. 2. q. 2. a. 5 ad 3.^{um}; 3.^a Contr. Gent., cap. 19, 20, 21, 22.

ad similitudinem divinæ causalitatis. Sed creatura rationalis per suam operationem tendit in divinam similitudinem singulari quodam modo præ cæteris, sicut et præ cæteris creaturis nobiliter esse habet. Esse enim creaturarum cæterarum, cum sit per materiam constrictum, infinitatem non habet, nec actu nec potentia. Omnis vero creatura rationalis infinitatem habet, vel actu vel potentia, secundum quod intellectus continet in se intelligibilia. In nobis igitur intellectualis natura in suo primo esse considerata, est in potentia ad sua intelligibilia, que cum sint infinita, infinitalem quamdam habet in potentia... Natura vero intellectualis in Deo infinita est in actu, utpote in se præhabens totius entis perfectionem... Creaturæ vero alia intellectuales medio modo se habent inter potentiam et actum. Tendit igitur intellectualis creatura per suam operationem in divinam similitudinem, non in hoc solum, quod se in esse conservet, vel suum esse quodammodo communicando multiplicet, sed ut in se habeat actu, quod per naturam in potentia habet. Est igitur finis intellectualis creaturæ, quem per suam operationem consequitur, ut intellectus ejus totaliter efficiatur in actu secundum omnia intelligibilia, que in potentia habet; secundum hoc enim maxime Deo similis erit (1). Adde aliam etiam excellentiam creaturarum intellectualium in tendendo ad similitudinem divinam, in eo repositam, quod cognoscendo et amando Deum, beatitudinem suam consequantur: id quod nulli creaturæ irrationali competere potest (2).

Et in hoc diverso gradu, secundum quem res omnes ad divinam similitudinem adspirant, tandem sistit diversitas et immensa varietas mundanorum entium (3).

95. **Objic. 1.^o** Nihil tendit naturaliter ad id, quod assequi nequit. Sed nihil potest divinam bonitatem assequi, cum illa non recipiatur, ut perfectio vel forma alicujus creature. Ergo res creatæ non ordinantur ad Deum, tamquam ad ultimum finem.

(1) S. Thom. *Compend. Theolog.*, cap. 103.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. quest. 1, art. 8, fin. corp.; quest. 2, art. 5 ad 3.^{um}; 2.^o dist. 1, quest. 2, art. 2.

(3) Vide S. Thom., *Compend. Theolog.*, cap. 73 et 102; 1. p. quest. 47, art. 1.

Resp. dist. Minor. Nihil potest assequi divinam bonitatem in seipsa spectatam, *conc.*; participatam in similitudine sua, *neg.* (1).

Objic. 2.^o Omnis res est propter suam operationem, et substantiæ spirituales propter suum *esse* sempiternum, ut habetur apud Philosophum (2). *Esse* autem et operatio rei, non est extra ipsam rem, sicut est bonitas Dei. Ergo bonitas Dei non est finis, ad quem omnia ordinentur.

Resp. Operatio est ultima perfectio, in qua res existit; habitus enim et potentia imperfectionem dicunt. Et ideo idem est rem esse propter suam operationem, et propter divinam bonitatem, ad quam maxime accedit, secundum quod maxime est in actu perfecto. Similiter etiam ipsa sempiternitas essendi est quædam assimilatio bonitatis. Et propter hoc perpetuitas specierum vocatur a Philosophis divinum *esse* (3).

Objic. 3.^o «Finis generationis et forma generati et agens non incidunt in idem numero, ut dicitur 2.^o *Physicorum* (texto 70), quia finis generationis est forma generati. Sed Deus est primum agens omnium. Non ergo est causa finalis omnium» (4).

Resp. *Forma generati non est finis generationis, nisi in quantum est similitudo formæ generantis, quod suam similitudinem communicare intendit. Alias forma generati esse nobilior generante, cum finis sit nobilior bis, quæ sunt ad finem* (5). Quare potest Deus esse causa finalis omnium, non quidem ut ponendus in *esse*, vel acquirendus tamquam forma aliqua realis, sed ut imitandus, ac similitudine exprimendus.

Objic. 4.^o «Finem omnia appetunt. Sed Deum non omnia appetunt, quia neque omnia ipsum cognoscunt. Deus ergo non est omnium finis» (6).

Resp. Omnia appetunt Deum ut finem, appetendo quodcumque bonum, sive appetitu intelligibili, sive naturali, qui

(1) Vide S. Thom. 2.^o dist. 1, quæst. 2, art. 2 ad 1.^{um}

(2) Lib. 2, *de Cæl. et Mund.*, text. 17.

(3) Vide S. Thom. 2.^o dist. 1, quæst. 2, art. 2, ad 2.^{um}

(4) Apud S. Thom., 1 p., quæst. 44, art. 4, argum. 2.

(5) S. Thom., loc. nup. cit., ad 2.^{um}

(6) Apud S. Thom. *ibid.*, argum. 3.^o

est sine cognitione. Quia nihil habet rationem boni et appetibilis, nisi secundum quod participat divinam similitudinem (1).

Objic. 5.^o Si Deus omnia ageret propter seipsum et propter suam bonitatem, etiam ad eundem finem dirigeret actiones peccaminosas, quas simul cum causis liberis elicit. Atqui hoc indecens videtur et impossibile. Indecens quidem, quia indecens est, Deum tales actiones velle: multo ergo magis velle propter se ipsum. Impossibile vero, quia illæ actiones sunt intrinsece repugnantes summæ Dei bonitati. Quomodo ergo possunt in illam referri, ut in ultimum finem?

Resp. in primis negari posset Major, intellecta de actionibus peccaminosis, prout tales sunt: nam actiones hujusmodi, ut sic, repugnant divinæ bonitati, nec proinde sunt a Deo ut ab ultimo fine, sicut nec sunt ab eodem, ut a primo agente, quia peccaminosæ actiones prout tales, non sunt actiones, sed defectus actionis. Respondetur secundo actiones hujusmodi, quantumvis peccaminosas respectu causæ secundæ, secundum suam physicam realitatem, seu prout actiones sunt, esse etiam actiones ipsius Dei, et ut sic esse per se et immediate ex fine ultimo et propter finem ultimum, nam ut sic nullum defectum vel malitiam includunt, ratione cujus repugnent summæ bonitati finis ultimi. Et quamvis Deus efficaciter et absolute non velit illas, propter respectum, quem absolute sumptæ habent ad causam secundam, cum quo et ex quo habent concomitantem malitiam; tamen vult ad illas concurrere, et ita vult illas quatenus actiones suæ sunt, et hoc modo ordinat illas in se ut in finem ultimum, quia in illis sub hac ratione spectatis relucet maxime bonitas Dei, quæ ad omnia se diffundit, quatenus aliquid boni habent, et potens est ita influere in bonitatem, ut quantumvis illi sit conjuncta malitia, illam non attingat, neque ipsi ulla ratione imputanda sit. In quo et manifestat omnipotentiam et sapientiam suam, immo et quodammodo justitiam, vel quia jure suo utitur offerendo concursum suum etiam illis, qui illo abusuri sunt, vel quia unicuique principio

(1) Vide S. Thom., *ibid.* ad 3.^{um}

dat concursum ei naturaliter debitum, et unumquodque secundum suum modum agere sinit. Sic igitur nulla est actio creaturæ causata a fine proximo, quæ non sit simul causata per se et immediate a fine ultimo, saltem respectu primi agentis. Legatur D. Th. 3 *cont. Genl.* c. 17 præsertim ratione 6, nam ibi virtute continet totam doctrinam hujus assertionis (1).

Objic. 6.^o Divina bonitas est Dei beatitudo. Sed beatitudinis divinæ non est capax nisi intellectualis creatura. Ergo non omnis creaturæ finis est divina bonitas.

Resp. Cum S. Thoma. *Cum bonitas Dei sit finis rerum, ad ipsam res diversimode se habent. Ipse enim Deus habet eam perfecte secundum suum esse; unde summe bonus est, etiam secundum suam operationem, qua perfecte eam cognoscit, et amat, unde beatus est, quia beatitudo est operatio perfecta, secundum Philosophum (lib. 7 Mor., cap. 13, et lib. 9, cap. 10, et lib. 10, cap. 18). Creatura autem intellectualis non attingit ad eam secundum suum esse, ut ipsa sit summum bonum, sed secundum operationem intelligendo et amando eam; unde particeps est beatitudinis, et non tantum bonitatis divinæ. Sed creatura irrationalis accedit ad eam secundum aliquam assimilationem, quamvis non pertingat, neque secundum operationem neque secundum esse; unde est particeps bonitatis, sed non beatitudinis (2).*

96. PROPOSITIO 3.^o Deus mundum condidit ad gloriam suam, non quidem intrinsicam, sed extrinsecam, cui ipsa hominis beatitudo subjicitur.

Propositio hæc quamvis eandem re ipsa, quam præcedens, veritatem exprimat, ut jam inde ab initio notatum reliquimus, otiosa tamen non est, quia hæc formula loquendi, cum familiaris est sacris Litteris atque ecclesiasticæ traditioni, tum clarius fortasse atque uberius rem demonstrat. Et re quidem vera: *Omnem qui invocat nomen meum, inquit Dominus Deus, in gloriam meam creavi eum (3).* Item: *Faciat*

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 24, sect. 2, n. 13. Cfr. Lessius, *de Perfectione divin.* lib. 14, cap. 3, n. 56.

(2) S. Thom. 2.^a dist. 1, quæst. 2, art. 2 ad 4.^{am}

(3) *Isaie* cap. 43, v. 7.

te (Deus) excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem et nomen et gloriam suam (1). Patres similiter loquuntur (2), et cum eis S. Thomas (3) et S. Bonaventura (4). Communem vero Ecclesiæ doctrinam hisce verbis ante paucos annos tradidit Vaticanum Concilium: *Hic solus verus Deus, bonitatis sua et omnipotentis virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit naturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam (5).* Et mox in Canonibus: *Si quis... mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit (6).*

Ratio vera est aperta.—I. *In primis enim Deus non potuit condere mundum propter gloriam suam intrinsicam; quia secus aliquid sibi internum quæreret per suam operationem, quod nefas est cogitare.*

II. *Deinde omnia condidit propter gloriam suam externam objectivam seu fundamentalem; quia ut diximus in præcedenti propositione, Deus creavit ad bonitatem suam aliis communicandam, vel multiplicandam quodammodo in similitudine et imagine. Atqui in hoc consistit gloria externa Dei fundamentalis. Hinc cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (7), ac plena est omnis terra gloria ejus (8), quia divinæ gloriæ celebrandæ materiam tibi tamquam liber scriptus seggerit orbis hic universus (9): estque quasi speculum, in quo Deum videmus in enigmate (10).*

(1) *Deuteron.* cap. 26, v. 19. Cfr. *Eccli.* cap. 17, v. 7, 8; *Psalm.* 105, v. 8.

(2) Quos vide, si lubet apud Em. Card. Mazzella (*de Deo creatore*, disp. 1, art. 9, n. 188, pag. 129, 130. Romæ 1880) et cl. P. Palmieri (*de Deo creante et elevante*, thes. X, pag. 99, Rom. 1878).

(3) 1.^a p., quæst. 47, art. 1; quæst. 65, art. 2, etc.

(4) 2.^a dist. 1, secunda pars, art. 2, quæst. 1.

(5) Concil. Vat. Constit. dogmat. *de Fid. Cathol.*, cap. 1.

(6) *Ibid.* in *Canonib.* paragr. 1, can. 5.

(7) *Psalm.* 18, v. 1.

(8) *Isaie*, cap. 6, v. 3. Cfr. *Eccli.* cap. 42, v. 16.

(9) S. Gregor. Nyssen. *Orat.* 2, in verbum: *Faciamus hominem.*

(10) 1 *Corinth.* cap. 13, v. 12.

siquidem invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (1): Etenim omnium pulchritudo quodammodo vox eorum est, consilientium Deum. Clamat cælum Deo: Tu me fecisti, non ego. Clamat terra: Tu me condidisti, non ego. Quomodo clamat ista? Quando considerantur, et hoc inventur: ex tua consideratione clamant, ex voce tua clamant... Cum vides hæc, et gaudes, et attolleris in artificem, et invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt, intellecta contueris, confessio ejus in terra et in cælo etc. (2).

Porro quo præstantior fuerit res creata, quo perfectior operatio, eo majorem præ se fert gloriam Dei, quia eo nobilius et proprius infinitam majestatem imitatur: quare speciali quadam ratione relucet gloria divina in ordine supernaturali gratiæ, ac nominatim in illo stupendo divinæ miserationis opere, quo Dei Filius naturam humanam assumpsit, in eaque passus acerbissimos cruciatus mortem appetit, ut nos pretioso suo sanguine redimeret a dæmonis potestate, cæloque insereret, visione divina æternum beandos.

tum formalem.

III. Præterea Deus mundum fecit in gloriam suam externam formalem. Nam Deus nequit non intendere tandem, ut homo ex rebus creatis ascendat ad eam auctorem,

(1) Roman. cap. 1, n. 20.

(2) S. August. Enarrat. in Psalm. 148, n. 15. Cfr. S. Prosper. De vocat. Gent. lib. 2, c. 4, explicans illud Actuum Apostolorum (cap. 14): Non sine testimonio semetipsum reliquit. Vere pulcherrime et eloquentissime hanc eadem sententiam expressit insignis ille scriptor, decus Hispaniæ, Donoso Cortes: «Los cielos cantan su omnipotencia, su grandeza los mares, la tierra su fecundidad, las nubes con sus altísimos promontorios figuran la peana, en que descansa su pie. El relámpago es su voluntad, el trueno es su voz, el rayo es su palabra. Él está en los abismos con su sublime silencio, y con su ira sublime en los huracanes bramadores, y en los torbellinos impetuosos. Él nos pintó, dicen las flores de los campos. Él me dió, dicen los cielos, mis moradas espléndidas; y las estrellas: Nosotras somos centellas caídas de su resplandeciente vestidura. Y el ángel y el hombre: Al pasar por delante de nosotros, su hermosísima figura quedó en nosotros estampada. De esta manera unas cosas representan su grandeza, otras su magestad, otras su omnipotencia; y el ángel y el hombre especialmente, los tesoros de su bondad, las maravillas de su gracia y los resplandores de su hermosura.»

Donoso Cortés Ensayo sobre el Catolicismo, cap. 7.

cognoscendo illum, amando, laudando, reverendo, eique suum exhibendo servitium. At in hoc est præcise gloria externa Dei formalis. Ergo... Sane homo tendit tamquam in ultimam finem in cognitionem Dei; tum quia decet a filio cognosci Patrem suum; tum quia in hac cognitione, quæ ob præstantiam objecti excellentissima omnium est, præcipua hominis perfectio et summum bonum consistit; tum quia in hoc est maxima illius cum Deo assimilatio, ad quam creatura rationalis pertingere potest, ut nuper vidimus ex Angelico (1); tum quia homo nature suæ impetu fertur ad cognoscendam ex effectibus causam, eamque non qualemcumque, sed primam.

Adde, quod nisi adesset creatura rationalis in mundo, quæ ex rebus creatis veniret in cognitionem causæ primæ, non esset, cui Deus gloriam suam manifestaret: non enim sibi manifestaret, ut patet; non creaturis irrationalibus, quæ incapaces sunt cognitionis divinarum perfectionum; non rationalibus creaturis, quæ tunc non forent. Ideoque similis esset Deus regi, qui divitias ac thesauros suos depromeret; ac pulcherrimo in ordine sollicitè collocaret, quos nemo esset contemplaturus, totaque rerum universitas esset instar musici instrumenti, quod a nemine posset sonari, vel instar scenicæ fabulæ nullis spectatoribus exhibitæ. Quare intellectualis creatura est complementum necessarium mundi, non solum, quia est præstantissimum ens naturæ, sed quia prorsus requiritur ad hoc, ut irrationalis ac bruta natura rite valeat Deum glorificare, quemadmodum colligitur ex Nyseno, Augustino et Prospero superius laudatis. Itaque plerique Theologi (2) censent Deum non potuisse condere mundum sine rationalibus entibus, quæ gloriam Auctori suo redderent (3). Non potuit ergo Deus non intendere, ut invisibilia ipsius ab homine per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicerent.

(1) Compend. Theol. cap. 103. Vide superius n. 92 fin.

(2) Apud Spagni, de Mundo, propos. 9, n. 338.

(3) Cfr. Sylvest. Mauri. (Quæstiphilos., lib. 13, quæst. 2. Utrum mundus sit perfectus), Mayr (Philosoph. peripat. pars. 2.^a disp. 1, quæst. 5, n. 389, Dices 2.^a)

Quod si finis ultimus hominis est cognoscere Deum, consequenter erit etiam amare ipsum, laudare, omnique veneratione, obedientia et servitio prosequi, quemadmodum passim nos docent sacræ Litteræ, ac ratio persuadet. Et hæc agendo in hac vita, suam homo tandem assequetur felicitatem, quæ etiam reposita est et ipsa in perfectissima cognitione et in amore Dei. Est ergo finis totius creationis ultimus tandem gloria Dei externa formalis: quæ quidem gloria inchoatur in hac vita, at perficitur, et consummatur in visione beatifica per excellentissimam cognitionem et amorem Dei: qua de re vide P. Lessium pulcherrime suavissimeque disserentem (1). Quæ cum ita sint, patet nullum finem a nobis operibus nostris proponi posse præstantiorem gloria Dei, nullus quippe præstantior esse potest illo fine, quem Deus omnibus operibus suis præstituit.

Hinc nihil mirum, si sæpe sacræ Litteræ ex operibus divinis nos ad laudem et amorem summi conditoris cohortentur (2), et Christus Dominus nos docuit petere, ut *sanctificetur nomen Dei*, præcepitque, ut *sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est* (3). Et S. Paulus sic conclusit: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (4). Et regius Psaltes dudum precari docuerat: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (5).

IV. Denique ipsa hominis beatitudo subjicitur, ac subordinatur gloriæ Dei. Etenim beatitudo vel sumitur pro eo, in quo essentialiter sita est ipsa, nempe pro cognitione, aut etiam pro amore Dei, ut præscindamus nunc ab omni controversia; vel pro eo, quod substantiam beatitudinis consequitur, nimirum pro ineffabili jucunditate et expletione affectuum omnium, quæ possessionem infiniti boni comitatur. Et in utroque sensu felicitas hominis ad gloriam Dei ordinatur.

Nullus finis in operando a nobis intendi potest præstantior gloria Dei:

cui ipsa hominis beatitudo subjicitur.

- (1) In *Op. de Perfectionibus divinis* lib. 14, cap. 5, n. 82 seqq.
 (2) Vide *Psalms*. 135, et alibi passim.
 (3) *Matt.* cap. 5, v. 16. Cfr. *S. Petr.* c. 2, v. 12.
 (4) *I Cor.* cap. 10, v. 31. Cfr. *ad Colos.* cap. 3, v. 17.
 (5) *Psalms*. 113, v. 1.

Licet enim hominis beatitudo, saltem essentialiter inspecta, realiter sit gloria Dei extrinseca, nam actus cognitionis et amoris Dei, qui beatitudinem hominis constituunt, et complent, sunt re vera ipsa glorificatio Dei; nihilominus hæc saltem ratione distinguuntur. Quandoquidem actus illi, quatenus sunt laus et gloria Dei, rationem habent boni divini, licet extrinseci; quatenus autem hominem beatum reddunt et cum fine suo intime unitum, perfectio ejus intrinseca sunt summumque bonum ejusdem. Quatenus itaque distinguuntur hominis beatitudo et gloria Dei, æquum est huic illam subijci ac subordinari. Primo quia minus bonum majori cedere debet, et majus magis æstimari ac præcipue intendi. Atqui bonum Dei, quantumvis externum, majus certe est, quam quodvis bonum creaturæ (1). Idque vel ex eo confirmatur, quod etiam inter homines honor et gloria principis pluris æstimetur, quam bona intrinseca civium, sæpeque cives, ut honori serviant Principis, bonorum suorum jacturam, dictante recta ratione, faciant. Accedit, quod nisi ultimus finis foret gloria Dei, cui vel ipsa hominis felicitas subordinetur, haud raro Deus fine suo frustraretur. Non enim omnes homines beatitudinem assequuntur, sed plures ob ipsorum culpam, æternas dabunt pœnas in inferis. Si autem gloria divina statuatur supremus finis totius creationis, semper Deus finem suum obtinebit etiam in iis, qui voluptatibus indulgere atque adeo æterna supplicia pati, quam Deo servire, Deoque in æternum frui maluerunt. Non enim minus resplendet gloria Dei in operibus divinæ justitiæ, peccata pro merito punientis, quam in operibus misericordiæ, bonis amplissima præmia largientis: ideoque non minus laudandus est Deus noster ob suam summopore timendam justitiam, quam ob suam dulcissimam et amabilissimam misericordiam.

Quod si jam beatitudo et felicitas hominis intelligatur pro suavissima illa quiete castissimaque voluptate, quæ divinam cognitionem naturaliter consequitur, multo evidentius patet hanc esse non posse finem ultimum divinorum operum, cum non sit nisi consecrarium et velut proprietas quædam beatitudinis essentialis.

(1) Vide Lessium, *de Perfectione divinæ*. lib. 14, cap. 3, n. 56.